



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Approbatio S. Facultatis Theologicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

APPROBATIO S. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

**T**HEOLOGIAM præsentem, quisquis conspicias, tolle, lege, & intentiori animo doctrinam percipe, sublimia enim Divinitatis sublimiter subtiliter pertractat, ejusdemque abscondita signat; Sacratissima Incarnationis ænigmata dexterrimè solvit, aliaque meliorum charismatum dona luculenter explicat, ad veram denique sapientiam, ceu ad rerum altissimarum perfectam contemplationem ac notitiam viam pandit clarissimam, sacræ fidei lumine copiosè instructa, sole Thomistico perfectè illustrata, solidissimis, exquisitisque rationibus dilucida. Et ut divina mirâ claritate revelat mysteria, sic & sapientissima est rationum, actionumque arbitra, optima æqui, iniquique interpres, dum latentes difficultates de Justitia, de legibus, de vitiis, & universim de humanis actibus è fundo eruit, dilucidè explicat. Nihil agit superfluum, nihil inordinatum, indecorum nihil, sed nec quicquam negligit, aut sicco pede pertransit, in quo sapientiæ aut conscientiæ est quæstus uberior. Dignissimum proinde censemus, ut glorioso labore elucubratum opus isthoc tutissimæ doctrinæ, quam Author Doctor Clarissimus Paulus per annos quàm plurimos publico è suggestu Theologico ferventissimo ac indefesso animo pro laudabili litteraria Reipublicæ incremento, maximâ innumeros Auditorum proficuitate ac felicitate prædicavit, in frequentissimis actibus publicis invictè propugnavit, typis divulgatum toti orbi illucescat.

*Ita censent, simulq; Clarissimo Auctori  
animatus gratulantur Collegæ*

P. MAURUS LIECHTENHAIMB,  
Benedictinus, & Lib. Monast. S. Lamberti, Controversiarum Fidei Professor, p. t. Facultatis Decanus.

P. HONORIUS AIGNER, Benedictinus ex Monast. Cremifanensi, Celsissimi Principis & Archiepiscopi Salisb. Consiliarius Ecclesiasticus, Theologiæ Scholasticæ Professor Ordinarius.

P. EDMUNDUS RUEDORFER,  
Benedictinus ex Monast. Lambacensi, Theologiæ Scholasticæ Professor Ordinarius.

P. VIRGILIUS FABER, Benedictinus, ex Monast. Garsteni, Theologiæ moralis Professor Ord.

*Plur.*